



PRODROMUS  
LIBRI QUARTI  
VINEA ET POMARIUM.

**S**icut sollicita charæ Indulgentia Matris  
Non alimenta sua dat tantum & pabula proli;  
Permittit quandoque etiam Bellaria grata,  
Vel passas Uvas, vel nuper Palmite lectas;  
Dat Pyra, Poma, Nuces, Cerasum, dat Amygdala, Pruna,  
Castaneas, Corylos, Ficus, seu Persica præbet,  
Connubio puerili, ut agant convivia leti:  
Sic etiam æternus divini Numinis in nos  
Est animatus Amor, largè quodcumque neceſſe eſt  
Ex terra effundit Gremio, quo nempe levatur  
Imperiosa Fames; sed & addit plurima nobis  
Quæ faciunt ærumnosam dulcescere vitam.  
Nunc Vineta canam tumidis onerata racemis,  
Atque autumnali Pomaria, dulcia fructu.  
Fertilis haud adeò pinguem vult Vinea fundum.  
Sit mediocre solum, suspensum aut collibus altis,  
Non aspernatur juga Montis, & equora perfert.  
Si semel infixis firmè radicibus heret  
Malleolus, multos constans durabit in annos.  
Sit vegetans Tellus, & odori obnoxia nulli,  
Cui Cælum faveat, cui nulla Incommoda Gaurit  
Aut Aquilo poscit gelidis inferre Pruinis.  
Quisque Loci positus, modo cantus Vinitor adsit,  
Sole modo illustris, nec Sylvarum obrutus umbris,